

rara, densa, mollia, duraque, et ut pat est aliquid obstantia, tanta spacia intra mundum penetrans compleat: extra quoque mundum, ubi nullum opponitur obstaculum, in tantundem saltem spacia, quaquaversum diffundi ac spargi? Ubi, si nihil itidem obiiciatur, nihilque impediatur, quid prohibet etiam ulterius progredi? Sed quo usque tandem? Quo usque nimirum nihil impediatur. At nihil usquam toto spacio impedit. Toto ergo spacio lumen Solis diffundetur. Spacium vero totum infinitum est, ut alias probavimus. Totum ergo infinitum spacium, solare lumen implebit. Et si quid desit, quo id non pertingat, addantur ei lumina Martis, Iovis, ac Saturni. Quorum corpora, si Astrologis danda fides, tam magna sunt, ut eorum lumina, cum defectum facile adimplere queant, Martem enim asserunt in se continere terræ, magnitudinem semel cum dimidia. Iovem vero, eandem continere nonagies quinquies, et dimidiam: Saturnum autem nonagies ac semel, cum parte una octava. Quæ magnitudines simul computaræ, terræ, corpora, globosve, continebunt centum octuaginta octo, cum parte octava. Cumque Solis corpus, terras centum sexantaginta sex cum tribus octavis, contineat, Solem alterum integrum tres illi Planetæ conficient ac terras viginti et unam cum dimidia, et amplius parte. Atque ideo tantundem extra mundum spacia lumine replebunt, ac tanto ultra solaris luminis confinia, quanto ipsi sunt extimæ mundi superficie, quam Sol propinquiores; et spacio illi de quo agimus, proximiores. Quorum trium cum firmamento simul crassitiem antedictam colligamus, summam efficient M. 157 531. 916. Tanto ergo intervallo plusquam Sol extra mundum sua lumina emittunt. Quibus luminibus si addantur lumina stellarum maximarum xv. quarum unaquæque centies septies terram maior est: et earum omnium magnitudo simul sumpta possit alios X decem Soles fere integros conficere, quanto credemus in spacium illud sua lumina profusuras? Hisce si addamus lumina stellarum magnitudinis secundæ, quas dicunt esse XLV et singulas nonagies terram superare profecto, conficient Soles integros XXIII. et unius LXVI. partes amplius. His vero si lumina iungantur CCVIII. stellarum magnitudinis tertie, quarum quæque LXXII. terræ globos cum parte tertia adæquant. Soles XC efficient cum XXXVI unius partibus. Addamus his stellis alias CCCCLXXIII magnitudinis quartæ; quarum singulæ LIII terræ globis æquales sunt, Soles confecerint integros CLIII et partes unius XXXII. Apponamus his lumina stellarum CCXVII quinti ordinis; quarum quæque XXXVI terræ globos implet, Soles perficient XLVII et unius partes X. Postremo si hisce adiiciantur lumina stellarum XLIX ordinis sexti, quarum unaquæque XVIII terræ corpora adæquat, Soles conflabunt V et amplius LII partes unius. Quos quidem Soles, si cum partibus in summam redigam exhibunt Soles CCCI; spacio illi supramundano proximi. Ut in nullum numerum ponamus, aut Veneris, aut Mercurii sidera, nec computemus stellas novem, quas obscuras, aut quinque, quas rubeas appellant, vel nebulosas; nullo etiam numero habeamus infinitas alias, quæ sexto ordine sunt minores. Itaque in hunc modum ratiocinemur. Si Sol unus mundi omnia spacia, præter Lunæ, ac terræ globulos, illuminat, et universi mundi intercapedinem, et extra mundum per innumerabilia milliaria lumen suum extendit, quid dicemus CCCI. Soles integros, nullis ibi ostantibus impedimentis posse implere? Nempe totum id, in quo nihil obstat. At in toto illo infinito spacio, obstat nihil; totum ergo infinitum spacium implebunt lumine. In infinitum ergo lumina extendi ratio hæc nostra, ex sensu, et ex Astrologorum decretis ducta, satis demonstrat.

Sin contra dicatur, corpora stellarum ingentia quidem esse, totque Soles constare posse, attamen non luce sua lucere, sed a Sole lumen omne accipere: atque ita sui parte ad nos versa lucere opposita non lucere, atque ideo non extra mundum lumina sua mittere. Deinde si opposita quoque luceant parte, non posse lumen proiici in vacuum. Tertio, quamvis etiam proiiciatur, non proiici posse in infinitum. Finiti enim corporis finitam esse virtutem. Atque inde fieri, si mundi totius finita virtus est; finiatur partis cuiusque virtus, necesse est. Præterea, si detur lumen in infinitum propagari spacium, quid prohibet, mundum quoque infinitum dici? Quando mundus id sit, quod omnia contineat? Et cui nihil desit? At mundum finitum esse, sapientibus est iam, et persuasum, et confessum. Ideoque